



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

8. De Incertitudine Et vanitate gaudiorum mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

Multarum pressum curarum mole, monebat
 Sic Moſen ſocerum ſanctus Ietro ſuum:
 Quid tibi curarum molem, quid pondera ſoli
 Imponis, centum vix toleranda viris?
 Ergo tibi ſocios curarum quare fideles,
 Qui tecum partem ſuſtinuiſſe velint.
 Qui timeant Dominum, fugiant mendacia vana,
 Munera nec ſpectent diuitiasq; leues.
 Hac ſibi dicta putet, quibus eſt data cura regendi,
 Et cupiunt populo conſuluiſſe ſuo.

8. DE INCERTITVDINE ET
vanitate gaudiorum mundi.

Gaudia dic mundi quid ſunt, niſi ſomnia vana,
 Dic homo qui Baccho nocte dieq; mades?
 Deliciae pereunt, cantus, ſaltatio, luſus,
 Et pereunt Cypriae gaudia grata Deae.
 Diſſluit vnguentum, ſerta & conuiuia luxus
 Quid iuuat? immenſo durat in orbe nihil.
 Omnia ſunt vmbrae, ſomnus, ludibria vana,
 Gaudia ſunt inſtar cuncta fluentis aquae.
 Gaudia ſunt mundi carnis viſusq; voluptas,
 Et faſtus vitæ luxuriansq; Venus.
 Omnia quae pereunt cum ſtulto gaudia mundo,
 Non veram præſtant tempore mortis opem.
 Gaudia ſunt mentis vera hæc, quae ſpiritus almus
 Ex vera accendit cognitione Dei.

Hæc

*Hæc pete, quæ æthereo sine fine sequentur Olympo,
Gaudia quæ capient post sua fata piæ.*

9. DE REGNO ET SACERDOTIO
Christi spirituali & æterno, in dictum
Zachariæ 9. Ecce rex tuus venit
tibi mansuetus.

*Est Christus summus noster rex atq; sacerdos,
Nobis qui summus munera summa tulit.
Est regis munus, populo regnoq; benignam
Hostibus euictis ferre salutis opem.
Hæc habuit legis veteris sibi terna sacerdos
Munera, qui summus præses in æde fuit.
Sacrificet Domino, pia tradat dogmata plebi,
Ad Dominum faciat vota precesq; Deum.
Munera quæ Christus cœlesti missus ab arce,
Omnia pro nobis gessit in orbe Deus.
Hostibus à sæuis dura nos morte redemit,
Peccato, letho, tartareoq; cane.
Ad patris claro residens nunc æthere dextram,
Hostes quos contra nos iuuat atq; regit.
Æterni mentem docuit nos patris, & orans
Pro nobis patrem vota precesq; facit.
Post etiam sanctum pro nobis se obtulit agnum,
In ligno pendens victima grata Deo.
Est semel oblatus pro nobis victima Christus,
In ligno soluens debita λύτροι patri.*